

Petierat a Senatu Alexander, antequam de fœdere esset confectum, vellent Patres pro ea, qua semper civitas fuerat in Romanos Pontifices pietate, equites levis armaturæ quingentos, milites bis totidem præsidii ad se causa mittere: ea enim factio, quæ regi se adjunixerat, Romanorum principum, omnia ejus consilia magnopere impediebantur. Itaque percuesso statim fœdere, Patres jussierunt ex illis qui Ravennæ hyemaverant equitibus, qui que ibi adhuc quidem morabantur, is ut Romam numerus celeriter contenderet: tum ut Hieronymo Georgio, qui apud Alexandrum legati munere fungebatur, pecuniam quæstores evestigio curarent, qua is pecunia mille in urbe milites conscriberet. Literas ad Ludovicum præterea dederunt, ipse quoque idem faceret, mitteretque alteros totidem Romam milites equitesque: quo fultus auxilio Pontifex, dignitatem posset suam facilius atque honestius tueri. Legati post hæc qui ad Carolum a Senatu missi fuerant, domum sunt redire jussi.

Ipse vero interea Carolus, cognito, de quo dictum est, fœdere, veritus ne si moram Neapoli traheret, dum ii novas copias cogerent, exercitusque conjungerent, ab eis intercluderetur, ne in Galliam reverti posset, statuit optimum esse quamprimum discedere, sperans, si modo antequam ii omnibus ad bellum rebus instructi paratiique essent, proficeretur, Italiæ itinera sibi ipsum illis etiam nolentibus patefactum. nam mari tantum exercitum trajiciendi navium ei facultas non erat. quam enim Genuæ paraverat classem, ea maxima coorta tempestate afflcta, atque in littus ad Populoniam ejecta, nullum ei usum præbuerat: cuius quidem præfектus & princeps Salernitanorum Antonius pedibus se ad eum contulerunt. Interim a Ludovico maxime omnium se deceptum dictans, avertere ab illius imperio Genuensium civitatem summo studio concupivit. itaque Petro Fregosio Cardinale, qui dux eorum fuerat, suas in partes traducto, eum, & Objectum Fliscum, & præfectum ex suis Segianorum principem cum navibus longis undecim, quas

*Carolus rex  
Neapoli dis-  
cedit.*

*H. Bembi.*

E

habe-